









1715.

1. Beccius, Caspar Schatius : Repercibus rei publicae  
ministri et vasalli iuribus.
2. Brucknerus, Thielius Hervagius : De remedio contra  
contentiam, in justis processis summissione  
latam.
- 3<sup>a</sup>, b<sup>c</sup> Friesen, Jo. Bernhard : De jure riparum . . . .  
3 August 1715 - 1745.
4. Friesen, Iohes Bernhard : De querela iustificatione  
donacionis
5. Friesen, Jo. Bernh., Fac. iur. Sacrae : Programma Christ.  
Iohani Friderici Stephanii Lectioris Inaug. praemissum.
6. Friesen, Jo. Bernh., Fac. iur. Sacrae : Programma  
Iohannes Gottlieb Wangelii Lectioris Inaug. praemissum.
7. Gorhardus, Ephraim : De impunitone danni per  
ignorantiam iusti.
8. Riesch, Bonaventura : De sacerdotio cum regimine  
arist. conjuncto sine de theologis imperantibus

1715

94. b. c Schröterus, Christianus Fridericus & lejata  
specificatione . 3 Novembris 1715 - 1738.

10. Schröterus, Dr. Christianus, Fac. pris. Decanus : Pro-  
gramma, lectionis auspicati Ihes. Conradi Frimkevici  
praemissum.

11. Schröterus, Dr. Christianus, Fac. pris. Decanus : Programma  
Christiani Gustavii Raulfusii lectionis auspicato  
praemissum.

12. Schröterus, Dr. Christianus ? De conventionibus imperi-  
fectis ...

13. Schröterus, Dr. Christianus, Fac. pris. Decanus : Program-  
ma, lectionis Friderici Christophi Lipprensi praemissa-  
sum.

14. Schröterus, Dr. Christianus, Fac. pris. Decanus : Programma  
lectionis auspicati Davidis Otha praemissum.

1715

15. Schroeterus, I. Christianus, Fac. iur. decanus: Pro-  
gramma, lectionis auspicatae Georgii Wolfgangi Schre-  
stalii praemissum.
16. Stevngius, I. Philippus, Fac. iuri. decanus: Programme,  
lectionis auspicatae Dr. Christiani Kreusleri --  
praemissum
17. Stevnius, Prof. Gall.: De competencia fori in delictis  
extra systema communis.
18. Stevnius, Barnardus Gottlieffius: Prodromus  
historiae Graecopenthalensis.
19. Wedelin, Georgius Wolfgangus: De frustraria et inconvenien-  
ti medicamentorum administratione.
20. Wedelin, Iacobus Porphyrius; Fac. med. I. annus: Papenbre-  
iung: Desulphure metallorum iustitiorum, quem compiende  
(Dissertatio in mag. Ioh. Falzii praemissum).
21. Wedelinus, Christianus: De donis rei oratione  
excluso eruditus statuta Hamburgiaria.



1715

23. W. Evangelius, Christianus : Cattalio statutorum  
dimensionem cum jure civili et canonico communis  
23. W. Evangelius, Christianus : De eo, quod iustum  
et circa periculum imminentem.
24. st. W. Evangelius, Christianus : Declausula formularium  
culationis iuris salita, et justo tempore matutino

MP

I

R

EX

LX.

DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> JVRIDICA INAVGVRALIS  
**JVRE RIPARVM**

Von Recht der Mser / *Jes 32 v 20*

QVAM

AVXILIANTE DEO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**

DUCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,

ANGARIÆ WESTPHALIAE ET RELIQUA

DITIONVM ISENACENSIVM HEREDE

EX DECRETO INCLYTÆ FACVLTATIS JVRIDICÆ

IN ALMA SALANA

P R A E S I D E

**IO. BERNHARD.** *Griesen/* **ICTO**

HEREDITARIO in Pösen

SERENISSIMI DV CIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO AVLICO AC  
CONSISTORIALI, PROFESSORE PANDECTARVM NEC NON CV-  
RIÆ PROVINCIALIS SCABINATVS ET COLLEGII JVRIDICI  
ADSESSORE

PATRONO AC PROMOTORE SVO SVMME COLEND<sup>O</sup>

PRO GRADV DOCTORALI

ET PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS

PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI

ad diem 21 Decemb. MDCCXV. hor. ante & pomerid.

IN AUDITORIO ICTORVM

submitte

**JO. CHRISTIANVS KREVSLERV<sup>S</sup>**

Jen. Thur.

JENÆ, LITTERIS MULLERIANIS.

5



F. N. F.

ON raro controversiae circa riparum jura & usus oriri solent, maxime in his aliisque terris, inter quas Salamnis valde rapidus fluit, quod illæ vel nimis longe protensæ dicantur, vel adeo neglectæ a possessoribus & per vim aquarum ruinosæ redditæ sint, ut prædiis accolentium exinde damnum & ruina immineat. Quandoque lites & querelæ moventur, ubi nulla causa subest, si scilicet flumen publicum detrahendo vel adjiciendo naturalem cursum mutat, & censorum vice fungitur, ut Ictus in 1.30. §. 3. ff. de A.R.D. loquitur, quam tamen naturalem vim sensim operantem perinde, ut aliud infortunium possessores ferre deberent. Eapropter non inutilem operam me suscipepturum putavi, si theses aliquas de materia hac satifre-

frequenti & scitu utili conscriberem, ac eruditorum censuræ publicæ submitterem. Faxit Deus T. O. M. ut hicce labor feliciter succedat, optatumque finem sortiatur.

## Th. I.

**R**iparum jura consideraturus e re esse puto, de vocabulorum notatione pauca præmittere, antequam ad ipsam materiam progrediar, cum per nominum enucleationem ad cognitionem rerum provehamur, illorumque prior, harum vero posterior cognitio esse debeat. *I. 7. §. fin. ff. de suppel. leg.* Ripa, Germanis der Rand/ das Ufer an einem Wassers-Fluß/ das Vort oder Gestad eines fließenden Wassers/ *āndō rīs ēm̄ns* dicitur, ob præcipitum & impetus, quia ripa fluminis impetum coercet & quia aquas *ēt̄re* præcipitat, vel ripa sic dicta, quod aquarum fluetuimque agitatione rumpatur. Harppr. *ad §. 4. I. de R. D.* Vocatur crepido sive labrum amnis & in generaliori significatione accipitur pro extremitate quarumuis a quarum perennium ita, ut & littora sub se comprehendat. Sic Plin. *L. 9. c. 15. de mari Pontico* dicit: *Thynni dextra ripa intrant, lēva exeunt.* Proprie autem fluminum ripæ dicuntur, inde illud: *Ad flumen ripas, ad mare littus habes, in Ovid. I. Metamorph.*

*campoque recepti  
Liberioris aquæ pro ripis littora pulsant*

## Th. II.

Describitur ripa, quod sit illa pars terræ, quæ plenissimum flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens & cedit, ex quo primum a plano vergere incipit

33 (5) 33  
cipit usque ad aquam l. i. §. 5. junct. l. 3. §. 1. 2. ff. de  
flum. ne quid in flum. vel est pars extima alvei i.e. quo  
flumen naturaliter excurrit, ita definiente Grotio de J.  
B. & P. L. 2. c. 8. §. 9. n. 2.

Th. III.

Ex priori descriptione appareret, ripas differre a lit-  
toribus, quæ mare continent & ejusdem juris habentur,  
cujus & mare, sc. nullius sunt & omnibus vacant, quoad  
usum & occupandi potestatem §. 5. J. de R. D. Contra riparum usus tantum publicus est, proprietas vero earum  
ad illos pertinet, quorum prædiis hærent §. 4. I. de R. D.  
Quemadmodum etiam in eo differunt, quod usus riparum  
limitatus sit, pro necessitate piscandi & navigandi uti  
*ex d.* §. colligere est, littorum vero plenior & aliis det-  
tar, ut in iis ædificare & littus pro parte per occupatio-  
nem suum facere quis possit, non tamen in perpetuum,  
sed quamdiu ædificium constat, alioquin ædificio di-  
lapso quasi jure postliminii revertitur locus in pristinam  
causam l. 6. pr. ff. d. R. D. Hodie, postquam in Germania  
& alibi omnia ferè flumina perennia in privatorum jura  
transierunt, ac, ut plurimum ad dominos & Magistratus  
loci spectant, & juri publico in his nihil fere relictum  
sit præter usum aquæ eumque non ubique indifferen-  
tem, usus etiam riparum, quæ hac ratione jus fluminis  
sequuntur, non omnibus ex republica competit, sed  
iis, qui ex concessione principis jura fluminum exercent,  
proprietas vero riparum privatis adhuc salva & integra  
remansit, nec a Principibus vindicata, forsan, quia plus  
oneris, quam commodi habent propter necessariam ea-  
rum munitionem & refectionem. Stryck. u. M. de

A 3

R. div.

R. div. §. 15. Littora etiam hodie non amplius communia sunt iure Gentium, sed ad principes spectant, qui ea cum districtu ad mare adjacenti occuparunt & inter regalia regulerunt. Strauch. in Specim. Jur. publ. L. 2. t. 4. §. 2.

## Th. IV.

Dictum est in descriptione riparum, quod flumen naturale rigorem cursus retinere debeat, si ripæ determinandæ sint. Ergo, si imbris vel mari vel qua alia ratione ad tempus excrevit, ripas non mutat. Si tamen naturaliter creverit, ut perpetuum incrementum nactus sit, vel alio flumine admixto vel qua alia ratione, dubio procul dicendum est, ripas quoque flumen mutasse, quemadmodum, si alveo mutato, alia coepit currere l. i. §. 5. ff. de flum. ne quid. Consideratur hic flumen tempore hyemis. Quamvis enim certior sit naturalis cursus aestate, quia tamen ripa dicitur, quæ plenissimum flumen continet l. 3. §. 1. ff. de flumin. & aqua de hyeme naturaliter crescit, ideo quantum ad riparum cognitionem flumen magis in hyeme, quam aestate spectatur. Card. Tusch. tom I. lit. A. concl. 319. n. 2. Tandem, cum in riparum descriptione adjectum, quod illæ cedant, ex quo primum a plano verge-re coepit usque ad aquam, exinde constat, sec. ripas fluminum non omnia loca publica esse, neque ad ea applicari posse, quod de usu riparum alias dicitur. Latius tamen spatium ripis assignari solet in iis locis, ubi naves adpelluntur mercium in vel exportandarum causa, item in fluminibus, in quibus naves equis in ripis currentibus trahuntur, quia ibi via prope flumen ripis adhuc adnumeratur, cuius latitudo ut plurimum certis ordinationibus solet determinari. Ejusmodi ordinationis mentio fit in Lexico

Gallico

Gallico du Furetiere editione novissima ex emendatione autore ed. 1727.  
 Basnagii sub voce rivage: *Sous le nom de rivage est compris le chemin, qui doit être entretenu le long des côtes & rivieres navigables pour le hale des bateaux, qui doit être de 24. pieds de lè ou de large par l' ordonnance. Dans les ordonnances de la ville de Paris il est fait mention d'un droit de rivage, qui est dû sur les marchandises, qui abordent au rivage de la ville, ou qui en sortent.*

## Th. V.

Distinguuntur ripæ ratione fluminis, quod continent, in publicas & privatas, prout flumen publicum vel privatum est. Publicæ sunt, quarum usus publicus est & iis competit, qui sunt in illa republica, vel quibus a Principe concessus est. Privatae sunt, quarum usus privatorum est & ad eos spectat, qui flumen in dominio habent. Fundamentum ergo distinctionis est in usu & fluminis conditione. Nam ratione proprietatis ripæ privatorum esse possunt, quæ ratione usus publicæ sunt, & ripæ hoc respectu publica vel privata dicuntur, prout prædia, quibus inhaerent, publica vel privata non limitata sunt. Locc. ad §. 5.  
*I. de R. D.*

## Th. VI.

Considerata riparum natura videndum nunc erit, quomodo illæ constituantur. Constituntur autem vel a natura & flumine vel facto hominis. A natura & flumine per alluvionem, nativitatem insulæ, alvei mutationem & circumluvionem.

## Th. VII.

Alluvione constituuntur vel potius protenduntur ripæ, si quid flumen ita paulatim adjicit, ut intelligi non

non possit, quantum quoque temporis momento adjiciatur §. 20. I. de R. D. quod justissima ratione addicitur iis, qui fundum vicinum possident, quia æquitas exigit, ut, qui damna fluminum sentiunt, illi etiam commoda percipi-ant, siquidem ex fluminum periculis multa sunt vicino-rum incommoda & impendia, quæ adventitia accessione pensari æquum est. Accedit, quod alluvio ex particulis terræ consistat, quas flumen secum vehit & quarum dominium nemo sibi asserere potest, cum discerni non possit, quid ex cuiusvis agro detraictum sit, adeoque ei relinquitur, cuius agro fortuna adjectit. Ex quo factum, quod, licet moribus hodiernis fere omnia, quæ olim populi erant & sub hoc respectu publica dicebantur, ad principes pertine-ant & inter regalia relata sint, jus alluvionis privatis inte-grum remanserit, & plerisque in locis, uti de Saxonia ex jure provinciali Sax. Landrecht l. 2. art. 56. vers. Was das Wasser/ clarum est, quod per alluvionem accedit, vicino-fundo attribuatur, velut divinitus destinatum & per for-tunam occupatum, adeo, ut contrariam consuetudinem, si detur, parum piäm & justam judicet Mev. 7. dec. 301.

## Th. VIII.

Ut alluvio justa sit, requiritur (1), ut hæc accessio facta a flumine, & quidem perenni, quod hac in parte censi-torum vice fungi dicitur, non in lacubus & stagnis l. 12. ff. de A. R. D. l. 24. §. f. ff. de aqu. & aqu. nec a privatis da-ta opera attracta. Hic queritur, an non liceat terræ al-luvione noviter acquisitæ & adhuc fabulosæ arbusculas & sarmenta saliginea infigeri, quo terra firmior & cultior red-datur? Aff. tum ex natura dominii, quod facultatem de-re pro lubitu disponendi tribuit, tum, quod neque navi-gationi

gationi neque accolentibus damnum per id directo inferratur, licet quoad consequiam præjudicium aliquod detur, forte, quod spes, flumen iterum ademturm esse quod alteri adjecit, vel restituturum, quod paulatim fundo detraxit, hoc ipso præcidatur. Non enim videtur damnum dare in ea re, in qua jure suo usus est, vel si quis lucrum, quo alter utebatur vel spem habebat, interceptit. *I. 24. §. ult. I. 26. de dam. infect.* modo absit animus nocendi. *I. I. §. 12. & I. 2. §. pen. ff. de aqua. & aqua.* Hinc constitutiones & consuetudines, si quæ dantur, quæ ejusmodi factum prohibent, intelligenda sunt de casu, quo in terra aquis jam opera & nondum plene acquisita in damnum vicinorum aliquid factum est.

## Th. IX.

2. Requirunt, ut incrementum hoc latens sit, hoc est ita paulatim & sensim fundo alicuius adjectum, ut accessisse aliquod animadverti non possit *d. §. 20. I. de R. D.* Hinc si pars terræ uni fundo detracta adjiciatur alteri, non acquiritur fundo cui adiecta, cum sic possit discerni, quantum acceperit, sed manet prioris domini, uti & ripæ, quæ ita noviter constituta. Si tamen pars detracta cum terra vicini jam coaluerit, ita, ut arbores, quas secum traxit, radices egerint, una cum arboribus vicino fundo videtur acquisita esse *per §. 21. I. de R. D.* Salva tamen actione sc. reivindicatione utili ad aestimationem partis avulsa consequendam, quæ semper competit, quoties jura alicui accessionis titulo dominium rei addicunt, ad pretium pro ea consequendum. *I. 5. §. 3. & I. 23. §. 4. de R. V.* Sed, quid si flumen, ut plerumque sit, recedendo a ripis partem alvei siccum reliquerit,

B

rit,

rit, deinde eam paulatim colluendo eminentem supra  
alveum fecerit, an hæc pars jure alluvionis ad domi-  
num prædii adjacentis pertineat? Aff. quamvis  
enim ad modum acquirendi ex alveo derelicto referri  
posse videatur, cum idem juris sit in parte quoad par-  
tem, quod juris in toto quoad totum, *i. qua de tota 76.*  
*ff. de R. V. l. 7. §. 6 ff. de pactis.* & incrementum  
latens dici non possit, quod ita visibiliter accedit, quia  
tamen alvei derelicti non potest haberi ratio nec de ac-  
quisitione ejus quæri, ubi non in totum alveus dereli-  
ctus & insula quoque nasci dicitur, quando annis locum, qui  
alvei esset, siccum reliquit & circumfluere coepit, qui tamen  
locus eadem ratione ad alvei derelicti modum acquirendi  
referri potuisset, si partis alvei derelicti ratio haberetur.  
vid Struv. in S. I. C. Ex. 40. th. 32. in f. Sed dices, cui  
usui hec quæstio? cum sive pars ita derelicta ad alvei  
derelicti sive ad alluvionis acquisitionem pertineat, utro-  
que casu possessio prædii adjacentis fiat dominus ac-  
cessionis, adeoque nihil interfit, scire, quis modus ac-  
quirendi ex his duobus hic præualeat. Sed cogitatio  
hæc usum præstare potest in iis terris, in quibus princeps  
alveum derelictum sibi vindicat, quod vero per alluvio-  
nem accrescit, privatis relictum est.

## Th. X.

Quod ita a flumine & quidem perenni paulatim  
ripis adjicitur, acquiritur dominis, qui prædia prope ri-  
pam possident, & novæ ripæ, quæ ira constituantur vel  
potius protenduntur, ejusdem juris habentur, cujus fue-  
runt

runt antiquæ, sc. ratione usus publicæ sunt, ratione vero proprietatis privatorum. Hæc autem omnia obtinent in agris non limitatis, quo nomine tamen non veniunt agri, qui certa mensura constant & certis terminalibus lapidibus distincti. Nam & his alluvionem accedere, patet ex textu in l. 13. §. 14. ff. de act. Emt. cum non id eo, quod prædium tradatur ad mensuram, sortiatur idcirco naturam agrorum limitatorum. Sed agri limitati dicebantur olim, qui in Centurias per limites h. e. vias transversas divisi & discreti & viritim militibus modo adscripto adsignati, aliisve personis dati erant. Agrum autem manu captum ideo limitatum fuisse, ut sciretur, quid cuique datum esset, quid venisset, quid in publico relictum esset, ex l. 16. ff. de A. R. D. videre est. Via publica non impedit, quo minus fundo, qui sec. viam publicam est, acquiratur alluvio, quia via fundi quodammodo portio est. l. 38. ff. de A. R. D. idcirco, si destruitur forte vel impetu fluminis vel ruina, a vicino reparatur l. 14. §. 1. ff. quem serv. amitt. & hæc de primo modo constituendi ripas, sequitur alter, qui fit per insulas.

## Th. XI.

Insulas quoque, quæ in mari rarissime, in flumine frequentius nasci dicuntur in l. 7. §. 1. ff. de A. R. D. nostræ considerationis esse & per eas ripas constitui, manifestum est. Insulæ enim flumen, quod in duo cornua dividunt & infra uniunt, æque continent, ac aliae ripæ prædiorum, eundemque usum præstant, adeoque etiam hoc respectu publicæ dicuntur in l. 65. §. 1. ff. de A. R. D. quia ratione riparum usum publicum præstant, cum alias insulæ tam de

usu quam de proprietate privatorum sint per l. 1. §. 6. ff. de  
 flumin. &, quia insulæ nativitas inter modos acquirent dominium in §. 22. I. de R. D. refertur, quod usum &  
 proprietatem sua natura includit. Acquiritur insula iis, qui prope ripam prædia possident, & quidem, si medianam  
 partem fluminis tenet, communis est eorum, qui utraque  
 parte fluminis prope ripam prædia possident, non tamen  
 pro indiviso, sed regionibus quoque divisis, id est, tantum  
 in insula quilibet acquirit, quantum quilibet sec. ripam ante  
 tea habuerit, perinde ac si linea quædam in directum per  
 insulam traducta esset, l. 29. ff. de A. R. D. Quod si alteri  
 parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte pro  
 pe ripam prædia possident, d. §. 22. I. de R. D. Spectatur  
 autem proximitas insulæ, cum primum extitit, nam si post  
 ea extendatur etiam ultra medium flumen & processerit  
 contra frontes vicini, nihil tamen hic inde sibi acquires,  
 sed insula, quæ ita longitudinem porrexit, nihilominus to  
 ta manet cum incremento primi acquirentis. l. 65. ff. de  
 A. R. D. Cedit insula vicinis pro modo latitudinis cu  
 jusque prædii, quæ prope ripam est, & quoad anteriorem  
 partem, quæ antiquis JCtis frons per metaphoram a  
 fronte hominis deductam dicitur l. 30. pr. ff. de  
 A. R. D. contra insulam prospicit, ductis paralle  
 lis lineis ab extremitate partis prædii, quæ juxta ripam &  
 flumen est, non ab eo, ex quo a plano vergere incipit, ad  
 versus insulam, &, quod hisce lineis interjacet, ex insula  
 vicinis tribuitur. Ottinger. tr. de Jure limitum T. von Wörden  
 n. 6. & 7. Cæterum notandum est, quod dominium  
 insularum vicinis ipso jure acquiratur, etiam si appre  
 hensio nondum intervenerit. Aymus L. 2. de alluv. 8.  
 quia,

quia, quoties ex legis dispositione acquirimus, toties dominium ipso jure nanciscimur, & cum accessio naturalis sit, ad dominium acquirendum ex hac causa nullum factum requiritur. Ut tamen possessionem insulae consequamur, peculiari apprehensione opus est, quod secus in alluvione, ratio diversitatis est, quod posterius incrementum unitum & connexum sit cum fundo, quem possidemus, & singularem apprehensionem non requirat, prius vero, nimisrum insula separatum subsistat, nec cohæreatur fundo, quem possidemus, adeoque non nisi peculiari apprehensione acquiratur. Hinc si alterutrum quis occupet, priori casu remedia possessoria competit, posteriori vero reivindicationi locus est. Struv. in S.J.F. c. 12. apbor. 6. Haec etiam ratio est, quare insula non augeat usumfructum, bene tamen alluvio l. 9. §. 4. de usfr. Hodie plerisque in locis insulæ non amplius privatis acquiruntur, sed fisco, uti de insulis Rheni, Electoratus Saxoniae, Galliae & Hollandiae autores a Struvio in S.J.C.Ex. 41.tb.30. allegati, testantur. Ubivero ius Sax. commune viget, ius civile quoad insulas in flumine natas adhuc obtinet. vid. Jus provinc. Sax. L. 2. art. 56. in f. Interim, si consuetudo, qua insulas fisco tribuit, & alicubi vigere asseritur, dubia sit, haec probanda est Heig. P. 2. qu. ult. n. 136. Nec enim constat de generali consuetudine totius Germaniae, imo ex inde, quod per modum privilegii nonnullis principibus concessum, ut insulæ ad fiscum pertineant, patet jure com. contrarium obtinere. Mev. 7. dec. 30.

## Th. XII.

Inter modos constituendi ripas, natura vel flumine operante, merito etiam refertur alvei mutatio. Toties

B 3

enim

enim ripas mutari, necesse est, quoties alveus, cuius pars esse censentur, mutatur. Itaque, si flumen naturalem alveum dereliquerit, & novum alveum sibi fecerit, priores ripæ desinunt esse, & novæ constituuntur. Alveus ita derelictus vicinis prædiis cedit pro modo scilicet latitudinis cujusque agri non limitati, quæ prope ripam est, quia videtur quodammodo pars agri, & licet alveus publicus dicatur in §. 23. I. de R. D. hoc tamen non aliter intelligendum est, quam vel ratione usus vel, quam diu flumen eum adhuc tenet & impedimento est, quominus privatorum jus in eo se exerere possit, ideoque si exsiccatus fuerit, proximorum jam & usu & proprietate esse incipit cum populus eo non amplius utatur. I. 30. §. 1. ff. de A. R. D. I. i. §. 7. ff. de flum. In universum alveus derelictus esse debet, si de ejus acquisitione & mutatione quæstio est, adeo, ut ne quidem tempore hyemis aquam contineat, modica tamen aqua, quæ per eum fluit, non attenditur, si nomen fluminis perdiderit, quod ex opinione circumcolentium dijudicandum. I. i. §. 1. ff. de flum. Carpzov. P.3. Conf. 31. def. 15. Novus autem alveus ejus juris incipit, cuius & ipsum flumen est i. e. publicus. d. §. 23. I. de Rer. div. &, si hic post aliquod tempus iterum derelinquatur, revertente flumine ad priorem alveum, stricta ratione non redditur iis, quorum agros absunxit. d. §. 23. I. de rer. div. I. 38. ff. de A. R. D. quia verus forma & species mutata est, mutata autem forma rei, substantia dicitur interire. I. 9. §. 3. in f. ad exhib. Ex aequitate tamen pristinis dominis restituitur L. 7. §. 5. ff. de A. R. D. maxime, si negligentia antiquorum dominorum in munien-

( 15 )

muniendis ripis argui non possit, & certa sit eorum memoria, occupatio etiam hæc fluminis per breve aliquod tempus duraverit, quod præjudicio confirmat Baro de Lyncker dec. 701.

### Th. XIII.

Inundatione, quando scilicet flumen vel imbribus vel mari vel qua alia ratione excrevit, uti alveus non mutatur, ita nec ripæ novæ constituuntur, quia flumen exundando formam agri non mutat, sed tantum agrum tegit, & ob id si recesserit aqua, fundus ejus manet, cuius antea fuit, §. 24. I. de R. D. Interim quando ager inundatione opertus est, dominium ejus quasi dormit & quiescit, quia durante inundatione usu & effectu domini in eo dominus carere debet, ideo per inundationem ususfructus impediti & proprietas amitti (amissione scilicet facti, non ea, quæ jure fit) dicitur in l. 23. ff. quib. m. ususfr. am. sed inundatione cedente, proprietas ipso jure reddit & vires priores recuperat. l. 24. ff. q. m. ususfr. am.

### Th. XIV.

Quandoque accidit, ut flumen alium & novum alveum faciendo, veterem nihilominus retineat, agrumque ita ambiat, ut in fundo unitum in insulae formam redigat, ager a duobus fluminibus comprehensus manet quidem prioris domini, sed ripæ ejus juris publici sunt, quia impossibile est, ut ripæ fluminis publici, non sint publicæ. arg. l. 1. §. 7. ff. de flum. ex quo apparet, circumlocutionem merito inter modos constituendi ripas referendam esse. Atque ita modos constituendi ripas, qui na-

naturæ & flumini debentur, attigile saltem sufficiat, sequitur, videamus, quomodo ripæ factò hominis fiant.

## Th. XV.

Facto hominis, quod naturæ opponitur in l. 2. § 5.  
*ff. de aqu. & aqu. l. i. §. 8. de flum.* constituuntur ripæ, si princeps, necessitate vel publica utilitate exigente, flumen mutandum & aliorum divertendum censeat. Privatis hoc non permisum esse, manifestum est. Ex quo enim flumina inter regalia relata, & præter usum aquæ eumque non ubique indifferentem privatis nihil fere in iis relictum, ut supra th. 3. dictum est, ideo sine concessione principum nemini licet, eorum cursum mutare *L. i. C. de alluv.* ibique DD. & siquid fiat in præjudicium fluminum, interdicto locus datur *l. i. ff. ne quid in flum.* Nec etiam principes indifferenter flumina mutare possunt, & hac in re infelices & vanos quorundam Magnatum ausus notat *Styp. de jure mar.* qui operam & laborem in perso diendis & conjungendis fluminibus insumerunt, dicitque, naturam huic rei repugnasse, quæ suos cursus fluminibus dedit &, si terminia majoribus positi. *Prov. 22. 28.* non facile movendi, multo minus illos mutandos esse, quos Deus & natura rei constituit. Hoc ipso tamen non omnis fluminum mutatio reprehenditur, sed omnino causus necessitatis & qui publicam utilitatem concernunt, separandi sunt ab illis, qui ex ambitione & inordinato affectu fluunt. Necessestas vera & absoluta adesse debet i. e. talis, quæ, si huic non in tempore medela paretur, periculum ingens & irreparabile damnum minatur. Forte, si ex irruptione fluminum toti civitati vel operi, quod ingentibus sumtibus totius Reipublicæ exstructum, ruina

ruina & interitus immineat, & alia ratione, quam per aversionem aquarum evitari non possit. Difficultas ergo reparandi & resciendi ripas ex vitiis terræ vel ex indigentia possessorum orta, item periculum, quod ex flumine unius vel alterius privati, imo etiam communis agris instat, sufficiens causa non est flumina ruitandi, quia mutatio fluminum, quæ vix in terminis a natura constitutis contineri possunt, admodum periculosa est, & si alii modi huic necessitati consulendi supersunt, hic, ut extrellum & subsidiarium medium eligi non debet, ne, si huic necessitati succurrere velimus, in aliam & majorem incidamus & ob minimum prajudicium evitandum majus incurramus. arg. L. 4. ff. de restit. in integr. Quamvis enim necessitatis magna vis & efficacia sit, adeo, ut ob eam a regulis juris sapissime recedatur & multa permisibilia fiant, quæ de jure prohibentur c. 2. §. f. X. de observ. jejun. c. quanto 4. X. de consuetud. Hoc tamen non de alia quam defumma necessitate accipiendum est, neque eo extendi debet, ut liberrime nulla ratione habita damni & incommodi, quod accolentibus infertur, procedere & flumen alio avertere liceat, maxime, si necessitati aliter succuri possit, eaque habeat initium ex negligentia possessorum ripas non curantium voluntariorum, cum necessitas voluntaria privilegium non mereatur L. 3. §. 6. ad Silan. L. 21. pr. ff. de eo quod m. c. nec ei, qui se sponte in necessitatem conjicit, succuratur. L. 7. §. 1. ff. qu. satisd. cog. Quæ omnia bene attendenda sunt, ne, dum alium adjuvare intendimus, alterum laedamus, & sub specie æquitatis iniquitatem committamus.

C

Th. XVI.

Cum in publicis negotiis necessitatis & utilitatis fere sit eadem ratio, & tam imperans, quam subditi non minus publicæ necessitatî subvenire debeant, quam procurare ea, quæ ad beatitudinem civilem utilia censentur, licet ex necessitate arctior obligatio inducatur, quam ex capsa utili. Zieg. *de jus Maj. L. 2. c. 3. §. 9.* ideo merito necessitatis causæ adiunximus causam publicæ utilitatis & diximus *§. præc.* quod princeps non minus ob necessitatem quam utilitatem publicam fluminis cursum mutare & aliorum divertere posît. Quia vero utilitas publica suos habet gradus & alia ad necessitatem proprius accedat, alia remotior ab ea videtur, ideo bene perpendendum erit, ne ob quamlibet utilitatem fluminum mutatio, qua cum incommodo & damno accolentium semper conjuncta est, suscipiatur, sed, ut ea necessitati proxima vel alias evidens & insignis sit. Recte ergo princeps, a cuius iudicio dependet, ea, quæ necessaria aut utilia reip. visa fuerint, definire & in effectum deducere. Zieg. *d. tr. L. 1. c. 4. §. 18.* mutationem fluminis decernit, si securitas vel utilitas publica exigat, ut quædam loca non satis tuta flumine cingantur, vel publici usus causa cataractæ (Glysen) & molendina exstruantur, & si quæ aliæ aquarium derivationes bono publico proficuæ videntur.

Hicce casibus Superiori jus in bona privatorum competit, isque subditos compellere potest ad bona publici boni causa suppeditanda, non tantum, ubi summa necessitas adest, quæ priuatim quoque jus in aliena concedit,

dit, sed etiam, ubi publica utilitas, cui privatas cedere illi ipsi voluisse censendi sunt, qui in civilem cœtum coierunt, mutationem fluminis svadet, Grot, *de jure B.* & *P. L. 3. c. 20. §. 7.* uti videmus, imperantibus licere vi illius dominii eminentis, urbis munienda causa ciuium agros occupare. *I. 9. & I. 15. C. de oper. publ.* suburbium & in eo positas ædes belli tempore defensionis communis gratia diruere, item agrum vicini pro via publica occupare. *I. 14. §. 1. ff. quem. serv. amitt.* Hoc tamen dominium eminentis, si quod ex mente Grotii datur, non absolutam potestatem in bona privatorum infert, neque plenitudo potestatis efficit, ut quis ea de facto uti possit, cum superiorem non agnoscentes, de quibus saltem plenitudo potestatis prædicatur, Deo ad rationes teneantur, Baro de Lyncker. *dec. 726.* ideo privati ne quidem in causa necessitatis & utilitatis publicæ non refuso pretio rei dominio privari possunt, sed damnum resarcendum & refundendum premium ab iis, ad quos ea utilitas pervenit, quia non publicum tantum, sed privatum quoque cuiusque bonum queri, non autem interverti debet. Carpz. *P. II. C. 33. def. 16.* Ziegler. *de jure Maj.* *L. I. c. 4. §. 14.* Hinc, ubi privati bona ad novum alveum faciendum contribuere debent, non tantum ipsis de pretio prospiciendum, sed etiam curandum est, ut ratione oneris reparandi & custodiendi ripas noviter constitutas indemnes serventur, quo potius onerandi sunt, in quorum commodum flumen derivatum est, quia nemo pro alienis commodis tenetur ferre difficultates *I. 19. C. de testibus* & secundum naturam est, incoimoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur commoda *I. 10. ff. dr. R. J.* Quam

acriter quondam in Senatu Romano hac de re disputatum fuerit, appareat ex municipiorum, quorum intererat, orationibus, de quibus Tacit. 1. annal. in fin.

## Th. XVIII.

Quo tamen eo melius de necessitate & utilitate hujus rei constet & ipsa opera in flumine ducendo non nimium privatorum agris damnosa sit, non inutiliter architecti & periti artis adhibentur, qui omnes circumstantias, loci, temporis, modi, bene ponderare debent, antequam res tanti momenti suscipiantur. Hi, si ex ignorantia vel dolo præter necessitatem in præjudicium vicinorum deductionem fluminis suadent, & eorum consilium in effectum deducitur, læsis propterea tenentur, & quidem actione *si mensor falsum modum dixerit utili*, quæ semper competit, quoties quis alterum in modo fellerit, etiam si mensor non sit. Müll. ad Struv. S. I. C. Ex. 15. tb. 65. Stryk. de A. I. S. 1. m. 10. §. 33. Nihil interest, num judex mensorem dederit vel partes eum elegerint l. 3. §. 4. ff. *si mens. fals.* &, cum hodie omnes illi, qui peritiam artis publice profitentur, de levi quoque culpa conveniri possint. Lynck. in Anal. ad Struv. c. 1. recte ejusmodi architecti & mensores etiam ob imperitiam, qua culpæ annumeratur §. 7. l. de L. Aqu. actione pulsari possunt, secus ac de jure civ. l. 1. §. 1. ff. *si mens. fals.* ubi eorum opera beneficii loco habebatur, imo in mensores publicos perfidos aut negligentes juramento plerumque obstrictos poenam arbitriam statui posse, putant Schilt. ad ff. Ex. 21. bt. 24. Brun. in l. 4. ff. *si mensor.* &c. n. 4. aliquie DD.

## Th. XIX.

Quia vero hæc fluminis mutatio violenta est, non naturalis & novus alveus non à flumine & natura, sed opera manuum seu facto hominis constituitur, qui emi & propriis impensis conservari debet, eapropter sequitur, quod etiam commoda accessionis naturalis & incrementa, nimirum alluvionis, nativitatis insulæ, alvei derelicti, & si quæ sunt alia, non pertineant ad posseflores, qui prædia prope ripam possident, sed ad eos, quorum gratia hæc derivatio fluminis facta est, cum ita agri adjacentes naturam limitatorum habeant, & æquitas exigat, ut commoda eum sequantur, quem sequuntur incommoda. d. l. 10. ff. d. R. I. Licet vero flumen per fossam manu factam ducatur, propterea privatum non est, sed publicum manet, modo non per canalem ex publico in privatum fundum derivetur, ideo si quid ibi fiat, in flumine publico factum videtur. l. 1. §. 8. ff. de flum. Cæterum, cum princeps alicui jus ducendi flumen concesserit, non simul regale fluminis concessisse videtur, quia, qua specialiter conferuntur, generali concessione non comprehenduntur. Struv. in S. I. F. Cap. VI. aph. 23. n. 2. His itaque recensitis modis ut plurimum constituantur ripæ, quamvis negare non possimus, plures adhuc dari, siquidem haud dubium est, ripas toties constitui, quoties flumen eas per simplicem detractionem mutat & immunit, uti & certum est, citra necessitatem & utilitatem publicam facto & consensu omnium, quorum interest, concurrente approbatione principis flumina mutari & ripas novas constitui posse. Verum his, cum dubiam rationem non habeant, non immoramus, sed transitum.

nunc facimus ad tractationem jurium, quæ circa ripas competunt.

## Th. XX.

Jura riparum commode in duas classes dispisci possunt. Vel enim respiciunt earum usum vel proprietatem. Usus considerari potest vel in se, vel respectu personarum, quæ illo gaudent. Usum riparum in se spectatum quod attinet, ex à summo opifice constitutæ sunt, ut aquas intra fines suos continerent, quæ terram alias videntur obruitæ. Prov. c. 8. v. 29. Hiob. c. 38. v. 8. & seqq. Jerem. c. 5. v. 22. & hæc mira proportione pro quantitate & vi aquarum dispositæ cernuntur, ne agri adjacentes continua exundatione corrumpantur vel per recessum aquarum necessaria humiditate priventur, quo circa ripas munire, utilissimum dicitur in l. unic. ff. de ripa mun. &, qui in refectione earum impeditur, interdicto juvatur. d.t. Hæc autem veluti servitus à natura ripis imposita videtur, ut, qui flumine utitur, jus etiam habeat ripis utendi. Hug. Donell. Lib. 4.c.3. cum fluminis usus sine usu riparum alias nullus aut plane incommodus esset & concessio flumine ea etiam concessa intelligentur, sine quibus eo uti non possumus arg. l. 1. §. 1. si usus fr. pet. l. 2. ff. de jdiſt. ideo ripa aliquam latitudinem & spatiū tantum inter flumen & vicina prædia habere debet, quantum sufficiens fuerit usui publico, neque tam angustis terminis circumscríbenda est, ut pro crepidine aut labro amnis sive pro sola extremitate alvei & terræ, quæ flumen continent, accipiatur. Vin. ad §. 4. I. de Rer. div.

## Th. XXI.

Uſus riparum etiam se exserit in distinguendis imperiis

*Jef. 32. v. 20.*

periis & territoriis, quæ commode flumine & ripis terminantur, quia nihil aptius est imperii terminis constitutendis, quam id, quod non facile transitur. Unde milites riparienses seu limitanei in ripis suas stationes habentes. Brisson. de V.S. v. limit. & castra ripariensis in ripis statuta. In dubio imperia ad medietatem fluminis utrinque pertingunt, si flumen termini loco haberetur, quia eo animo populi imperia primitus occupasse creduntur, ut flumen sui medietate eos dirimeret, tanquam naturalis terminus, quod verum quoad Jurisdictionem, & alveum, nam ratione pescationis & cuiusque generis fruitionis, nihilominus flumen commune est. arg. l. 19. pr. ff. de com. div. ibique Faber in rational. & l. 83. ff. pro socio. Peregrin. de jur. fisc. L. 8. n. 50. Interim fieri potuit & contigit alicubi, ut flumen totum parti uni accederet, quia scilicet ripa alterius imperium serius & occupato jam flumine ceperisset, aut, quia eum in modum res passionibus esset definita. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 3. §. 16. Quando autem imperia & territoria ad flumen pertingunt & ripæ mutantur, questio moveri solet, an simul & impetri terminus mutetur &, an, quæ flumen adjecit, eis cedant, quibus adjecta? Hac controversia ex natura & conditione riparum seu limitum imperii definienda est. Si enim ripæ limitatam rationem habent & agri per mensurarum extremitates suos statutos consecuti terminos, nihil de territorio mutatur, & si quid alluvio adjecit, id occupantium imperio accedit. Si vero agri riparum arcisinesi sunt, quod in dubio presumitur, quin flumen mutato paulatim cursu territorii fines mutet, & quicquid flumen parti alteri adjecit, sub ejus imperio sit, cui adiectum, dubitan-

dum

dum non est Grot. c. 4. Sane, si dominium & jus prædio cohærens, ut servitus, per alluvionem augetur, nulla ratio adest, cur non idem de imperiis & territoriis statuendum sit, neque territoria limitata statim censenda sunt, quando ipsis terminus per flumen statutis est, quia hic limes non taxationis sed demonstrationis gratia positus videtur, &, cum id, quod perpetuae mutationi obnoxium est, pro termino acceptum sit, credibile est, dominos territoriorum in mutationem, quæ mediante fluamine fit, tacite consensisse. Huc spectat rescriptum Imperat. Theodosii & Valentini, in l. 3. C. de alluv. ubi Imperatores constituunt, ut pars prædii per alluvionem accedens prædio principali separatum censeri non debeat, sed naturam principalis habeat, adeo ut hæc accessio prout integrali, nec diverso jure censeri, nec in partes scindi debeat. Ex quo apparet, territorium augeri per partem adjectam, quæ cum principali censeri debeat. Census quippe solutio probat, castrum, villam aut prædiunum esse de territorio, cui exhibetur & adhæret, vid. Ioan. Ayamus de alluvion. L. 2. c. 6. per tot. Si impetu quoddam alveus nautatur & ex uno loco in alium perrumpit, non mutatur Jdictio, neque sequitur flumen, sed intra priores terminos manet. Gryph. tr. dr. insulis c. 14. n. 113. De illa concessione hic queritur, si feudum regale concedatur de tali flumine usque ad tale, an flumina quoque comprehendantur? Aff, cum dictio AD sit adjunctiva. Coepoll. de servit. pred. rufi. c. 31. n. 13. & 14. Rosenthal de feudis c. 5. concl. 30. Schrad. tr. feud. p. 13. c. 4. n. 36.

Th. XXII.

Cæterum, licet ripæ ratione usus publici a reliquis partibus prædii notabiliter distinctæ sint, nihilominus tamen, ubi totius ratio habenda est, ripæ etiam reliquis partibus annumerantur. Sic fundo vendito ripæ tanquam appendix simul venditæ censemur arg. l. 7. ff. de peric. & com. rei vend. Noe-Meuer von Wæßer / P. II. §. Wæster. Cœpoll. de serv. pr. rusl. c. 36. n. 7. quia fundi intellegitur, quod terra se tenet, l. 17. princ. ff. de act. emt. vend. &, licet pars, quæ ripis debetur, per se vendi non possit, cum riparum usus sit publicus de jure Gent. l. 5. ff. de Rer. div. & proprietas sola per se inutilis videatur, nihilominus tamen cedit rei venditæ per modum accessorii, quod in jure novum non est, ut aliquid accessorii vice cedat, quod separatim alienari nequit. vid. l. 62. ff. de A. R. D. Sixtin. d. regal. cap. 7. n. 3. Sed dubium est, an ripæ commensurari debeant prædio ad mensuram vendito? Sunt, qui hoc negant, se fundantes in l. 51. ff. de contr. emt. ubi littora, quæ fundo vendito conjuncta sunt, in modum non computari dicuntur, & in eo, quod riparum usus sit publicus & ea propter per se vendi non possint. Verum affirmantium opinio verior videtur, quia ripæ sunt venditoris & cedunt in venditionem, uti antea dictum, adeoque merito commensurari debent, &, licet riparum usum potissimum & præcipuum res publica sibi vindicet, proprietariis tamen etiam usus remanet haud spernendus, qui omnino in commensuratione prædiorum attendi meretur. Lex autem obstans 51. cit. pronuntiationum non infringit, quin potius confirmat. Si enim littora ideo in commensurationem non veniunt, quia nullius

ius sunt, e contrario sequitur, quod ripæ in modum computari debeant, quia vendoris sunt. Quomodo autem riparum declivitas merienda sit, ex iis colligere est, quæ de mensurazione agrorum tradit Io. Ottinger *intr. de Jure limit.* L. 1. c. 15. ubi varia schemata & cautiones hac in re reperire licet. v. Noe Meuer *Wasser Recht.* t. von Anlegen der Wasser s. wie aber &c.

## Th. XXIII.

Usus riparum, qui respectu personarum secundum dispositionem *tb. 20.* nobis considerandus venit, varius est, pro varietate personarum, quæ illo gaudent. Alius enim usus est, qui Jure Gent. communis omnium est, alius, quem Principes & qui jus ex concessione principis habent, sibi vindicant, alius denique, qui proprietariis riparum unice debetur. Usus in genere, qui omnibus hominibus competit, ex quacunque etiam parte terrarum illi venerint, ita comparatus est, ut vel ob immensitatem objecti omnibus sufficiat & alicuius proprius fieri nequeat, vel quidem in exhaustæ qualitatis non sit, neque p opterea proprietatem respuat, quia tamen innoxiam utilitatem præbet & necessitatis rationem habet, omnibus hominibus patet. Prioris generis usus cernitur in rebus communibus, quarum proprietas nullius est, usus autem omnium, uti sunt : Aer, lumen solis, aura, venti, aqua profluens & similia. De his Ovid.

*Quis vetet apposito lumen de lumine sumi,*

*Atque cavum vastas in mare servet aquas  
item.*

*Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum ek.  
Nec solem proprium natura nec aëra fecit.*

idem

ide[m] tales aquas munera publica i[n] jure Geint. i. e. omnibus hominibus communia vocat, uti Virg. undam canticis parentem. Aqua profluens secerenda hic ab ipso flumine, quod hodie regalibus annumeratur & spectatur aqua fluminis, vel; ut aqua simplex, cum ea sic utinatur, ut alia quavis uteremur, etiam, quæ non esset fluminis, videlicet ad hauriendum, bibendum, lavandum, ad aquandum pecora, vel spectatur, ut aqua fluminis, cum ea sic utimur, ut id facere non possemus, nisi in flumine, ut si navigemus, piscemur. Ullo usu aqua profluens est communis omnium, hoc nequaquam Donell. 4. com. c. 2. Notandum autem est- quod usus rerum communium quandoque impediatur, vel ex servitute constituta, vel alia ratione, ut si quis prohibeat, ne ædes altius tollat, ne luminibus officiatur, item, si quis aerem ædibus clausum habeat, propterea tamen nihil juris in aere queritur, quia ha[ec] res a creatore hominis commercio exenitæ & totius humanitatis consensu proprietati in perpetuum exceptæ sunt, propter usum, qui, cum sit omnium, non magis omnibus ab uno eripi potest, quam a te mihi, quod meum est, & libertas harum rerum vel exinde patet, quod (1.) pro aeris ad respirandum usu tributum exigi non possit, neque (2.) ædificium extrui juxta aream vicini, quæ ad tritrandum frumentum adhibetur, ne per illud ædificium usus areæ impediatur, dum ventus retinetur l. fin. §. 1. C. de servit scilicet, si ventus aliunde non possit venire, nisi ab ea parte, a qua ædificatur. Cœpoll. in tr. d. servit. c. 43. (3.) quod licet ædes tollere in infinitum arg. l. 24. ff. de serv. urb. præd. fenestram novam in suo pariete face-

D 2

re,

re, etiam invito vicino l. 8. §. 5. ff. si serv. vind. (4.)  
quod licentia obscurandi alterius aedes, quæ cuilibet da-  
tur, ita temperanda sit, ut non in totum aedes obscuren-  
tur, sed modicum lumen, cuius usum natura perinde, ut  
aeris, voluit esse communem, relinquatur, quantum ha-  
bitantibus sufficit. l. 30. ff. de usu fr.

Th. XXIV.

Posterioris generis usus versatur circa res dominio  
alterius subjectas, & omnibus conceditur ob innoxia-  
m ejus utilitatem & necessitatem. Officia quippe hu-  
manitatis societatisque exigunt, ut in suis quisque usum  
alteri non deneget, qui possessori nullum damnum,  
utenti vero commodum maxime necessarium aferat, imo  
quemlibet ex regulis justitiae ad hoc obligatum esse, vo-  
lunt DD. qui propterea ex l. 2. §. 5. ff. de aqu. & aqu.  
regulam formant: *Quod tibi non nocet alteri vero prodest,*  
*ad hoc poteris compelli*, quam regulam Baro de Lyncker  
in Exper. Jurispr. S. 1. m. 2. §. 38. ita limitat: *saltem, ut*  
*hoc fieri a me patiaris*, ne quis putet, obligationem hanc  
se extendere etiam ad factum. Cui limitationi hoc insu-  
per addendum videtur, quatenus commodum istud ne-  
cessitatem quandam conjunctam habet, ne leve saltem  
commodum & actus voluptuari comprehendantur. Ad  
res, quæ certo respectu usum communem habent, refe-  
rimus etiam ripas, quæ propter vicinitatem fluminis ser-  
vitutem omnibus hominibus debent, ut eum usum ferant,  
sine quo aquæ profluentis, quæ rebus communibus annu-  
meratur, usus alias nullus aut incommodus esset. Nemo  
itaque prohibetur ad ripas accedere, quo aquam bibat,  
hauriat, lavet, pecus aquetur, arenam sumat, & si quæ  
alia

alia sunt aquarum comoda, quæ communi usui relicta. Cœpoll. tr. de serv. pr. rust. c. 31. Hic usus, cum innoxius esse debeat, ad necessitatem restringitur & civiliter intelligendus est. Hinc, licet usus riparum & aquarum concedatur, ut quis bibat, hauriat aquam, lavet, hoc tamen non ita accipi debet, ut catervatim & sine respectu oneris, quo uniu prædium hac ratione præ altero premitur, ad ripas accedere iisque ad voluptatem & lucri causa uti liceat. Idem dicendum de usu pecoris aquandi, arenæ sumendæ & simillimum, ne quis gregatim & continuo pecus appellat, neque arenam quantitatis haud exiguae in detrimentum alluvionis & riparum sumat, quo successu temporis servitus formalis prædio contrahatur.

## Th. XXV.

Cilibet insuper permissum est, res, quæ fluctibus ad ripas expulsæ sunt, occupare, modo distinctio rerum obseretur, scilicet, quod res pretiosæ, quæ nullius sunt & nunquam alicujus fuerunt, ut lapilli, gemmæ, aurum conchilia & similia, Principibus cedant. Res vero, quæ alicujus fuerunt, sed casu aut ex necessitate amissæ, dominis restituantur, alias inventor furti reus fit, modo de domino rei constet. Quod si vero non appareat, qui rem inventam prævia requisitione suam afferat, eam detinens non potest dici obnoxius furti, cum animum furandi non habeat, qui non invenit dominum, cui restituat. Tuitius tamen esse & honestius inventorem agere putant, si pretium ex rebus inventis venditis redactum in pauperes distribuat vel ad alios pios usus eroget. Zoes. in Com. ad ff. t. de acqu. rer. dom. n. 19. Quid hac in re

D 3

Jure

Jure Sax. obtineat, & quomodo procedatur, vide ap. Carpz. P. III. Conf. 31. def. 18. Res pro derelicto habita in ripis inventa sine dubio inventor cedit, modo de animo derelinquendi vere constet, & a domino ripæ realiter non sit apprehensa, quia in dubio voluntas derelinquendi non presumitur, neque res pro derelicto habita ignorantis domino acquiritur, imo nec scienti vel videnti extra realem apprehensionem. Carpz. c. Conf. def. 17. Thesaurus in ripis inventus pro dimidia parte cedit inventor, altera autem dimidia domino loci §. 40. I. de R. D. non Cæsari aut civitati, quia ripæ tantum ratione usus publicæ sunt, non ratione proprietatis, quæ illorum est, quorum prædiis hærent. §. 4. I. de R. D. Abstinere autem debet thesaurum acquirere volens ab opera illicita artibus que magicis & incantationibus, nisi thesauro, qui hoc casu fisco cedit, carere & poenam fortilegii incurrire velit. Thesaurus enim, qui Dei beneficium ab Imp. Leone in L. unic. C. de thesaur. dicitur, a Deo expectari, non insana libidine à Diabolo expeti debet.

## Th. XXVI.

Nemini porro facultas denegatur in ripis ad aucupium ob fruticum & arborum frequentiam admodum aptis tendiculas, reticula aliaque ad capiendas aviculas inventa instrumenta ponendi tendendique. Quamvis enim jus venandi & aucupandi hodie Principibus competit, qui ex jure superioritatis ab immemoriali tempore hoc jus sibi vindicarunt & privatis ob rationes civiles ademerunt, ita, ut his ne in propriis quidem fundis venari amplius liceat. c. un. §. 5. vers. nemo retia 2. F. 27. Siruv. in S. J. F. c. VI. apb. 7. n. 3. nihilominus tamen pri-  
flini

stini juris reliquiae aliquæ relictae sunt, ut cuilibet hodie aves minores capere licet. Noe-Meuer tr. von Jagt- und Forst-Recht, part. 3, fol. 55. Hæc vero libertas se non extendit ad jus capiendi majores aves (Feder-Wildbret) & nobiliores v. g. turdos Krammets Vogel-Troßeln / alaudas & certis in locis luscinias, quæ eorum occupationi cedunt, qui jus aucupii habent. Nec tamen his libera capiendi potestas competit, sed certum modum & tempus secundum cujusque loci ordinates observare debent. Sic die wilden Hühner werden mit Garnen gefangen/nicht geschossen. Besold, ibef. prat. voc. Jagen in add. Nihil interest quoad occupationem ferarum bestiarum & rerum inanimatarum nullius, utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno §. 12. I. de R.D. Poterit tamen dominus, si præviderit, ingredi volentem prohibere, ne ingrediatur, & si contra prohibitionem, ingressus fuerit, actioni iujur. locus datur I. 13. §. fin. ff. de injur. vel etiam actioni L. Aqu., si fructus fundi forte laſserit.

## Th. XXVII.

Diversa ratio est rerum communium, quibus utimur ad vitæ sustentationem & ex necessitate. Harum usus prohiberi non potest, etiam si per alterius fundum ire necesse sit, & si contra fiat, interdicto experiri licet. Sixtin. de regal. c. 7. n. 5. si scilicet usus fluminis hoc ipso simul impediatur. I. unic. §. f. ff. ut in flum. pub. vel etiam auctio- ne injur. I. 13. §. f. ff. de injur. Coecoll. de servit. ruf. pred. c. 26. n. 2. Inhumanum euim esset, aliquem ab usu earum rerum etiam per indirectum arcere, quas Deus in usum hominum communem creavit Servitus etiam a natura rei

no-

nōstræ unâ imposita videtur , ut , licet ejus domini simus ,  
 tamen æquo animo feramus , alium in usum certum  
 concurrere . *add. l. 1. §. 1. ff. si usuf. pet. & l. 3. §. 1. ff. d.*  
*serv. præd. rus.* Ex adverso feras bestias & res inanimata  
 nullius occupare intendens facilis prohiberi potest ,  
 cum hic non necessitatis sed lucri causam præ se ferat .  
 Quod usum denique riparum , qui in §. 4. *I. de R. D.* de-  
 scribitur , concernit , ubi dicitur , quod naves ad ripas  
 appellere , funes arboribus ibi natis religare & onus ali-  
 quod in his reponere cuilibet liberum sit , sicut per ipsum  
 flumen navigare , non credendum est , usum hunc omnibus  
 omnino etiam exteris gentibus de Jure Rom. competuisse ,  
 & publicas res a communibus sola proprietate differre , usu  
 non differentes hæc ita accipienda sunt , quod ripæ omni-  
 bus , qui sub populo degunt , serviant , & juris Gentium di-  
 cuntur , quod cuiusque generis & nationis hominibus  
 flumina & ripæ suarum regionum in promiscuo serviant ,  
 ita Zoes . *in Comm. ad ff. t. de R. D. n. 10.* Vin . *ad §. 4. I.*  
*de R. D.* Cæterum quandoque accidit , ut duo vel plures  
 in usu riparum concurrant & omnes simul admitti non  
 possint , sed alter alteri cedere teneatur , ubi quæstio ori-  
 tur , quis ex concurrentibus præferatur ? præventioni lo-  
 cum esse putat Zœpoll . *d. tr. c. 31. n. 6.* quod in dubio ve-  
 rum est , maxime , si concurrant , qui usum ex eadem  
 causa prætendunt , alias usus , qui ex necessitate exigitur ,  
 præfertur ei , qui utilitatis causam habet . In concursu  
 navium ad ripas accendentium advenientibus & onustis ce-  
 dere debent illæ , quæ merces recipiunt & excurrunt ,  
 argumento ducto jà plaustris concurrentibus vid . Struv .  
*in Jpr. L. 2. t. 3. §. 10.* Præ omnia potiore jure gaudet  
 pro-

( 33 ) E

proprietarius ob duplicom ratione usus & proprietatis  
respectum. Ruland, de Comiss. L. 4. p. 3. c. 6.

Th. XXVIII.

Præter usum riparum communem, de quo *in præc.*  
actum est, datur alius isque peculiaris, qui olim cuilibet  
de populo competebat & propterea publicus dicebatur,  
quasi populicus arg. §. 1. I. de publ. jud. hodie vero ad  
principem pertinet & regalibus annumeratur. Cum  
enim usus riparum cum usu fluminum adeo arcte con-  
junctus sit, ut unus absque altero vix exerceri possit, &  
flumina inter regalia relata sint 2. f. 56. etiam ripæ de  
regalibus per necessariam consequentiam esse cœperunt,  
non quidem quoad proprietatem, sed quoad usum eum-  
que non promiscuum, sed ad usum fluminis restrictum,  
quia ripæ non sunt principis, sed illorum, quorum præ-  
diis hærent. Sixtin. de regal. c. 7. n. 7. In genere igitur  
omnia emolumenta, redditus & jura, quæ intuitu flumi-  
num ex ripis proveniunt, ad principes spectant, & com-  
muniter ripaticorum nomine venire solent. Sixtin. c. l.  
In specie vero Principi competit jus determinandi ripas  
earumque modum & usum præscribendi, ne quid in præ-  
judicium fluminis & prædiorum adjacentium fiat. Ro-  
senthal, de feud. s. concil. 32. Huc spectant LL. ripariae ab  
accolis Rheni, qui olim in specie sic dicti, conscriptæ,  
Gunter in l. i. Ligur. Prattæ in Lex. j. v. Ripæ. item varia  
interdicta de fluminibus & ripa, quæ Lib. 43. ff. con-  
tinentur. Quia vero hæc de ripis dispositio rem alienam  
tangit, sedulo cavendum est, ne præter necessitatem  
possessores & domini riparum graventur, vel in præju-  
dicium bonorum suorum aliquid pati teneantur, quæ

E

cau-

cautio toties observanda est, quoties jura concedunt, alterum re mea uti, aut in ea quicquam facere, quo ego re mea uti prolibitu prohibeor, *vid. l. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publ.* Ita etiam omnia privilegia & concessiones intelliguntur sine injuria cuiusquam & absque præjudicio tertii. *l. 4. C. de emancip. c. 8. inf. de rescript. in b.*


## Th. XXIX.

Ratione navigationis competit jus naves ad ripas appellendi, funes arboribus ibi natis religandi onusque aliquod in his reponendi per §. 4. *l. de Rer. div.* Aliter enim navigatio commode exerceri non posset, si non daretur jus, ripis, quando opus est, hac ratione utendi. Omnis igitur tempore & loco ad ripas navigio accedere licet, quoties necessitas exigit, ut navis appellatur onusque in ripis reponatur. Quodsi vero mercium in vel exportandarum gratia navis appellenda est, certa ad hunc usum destinata loca adiri bebent, neque ripæ in genere huic usui inserviunt, qui majus terræ spatium exigit, quam ripæ regulariter continent, &, si hoc liceret, non tantum ripis, sed etiam prædio adjacenti ob continuum mercantium accussum & recursum oneri esset. Utilitati autem publicæ, quæ hunc usum exigere videtur, privatus non ante suis bonis succurrere debet, quam, si ea necessitatem conjunctam habet, illique non possit aliter consuli *sec. supr. dict.* Ex eadem ratione a villis & ædificiis abstinendum est, nec licet casam in ripis ponere, in quam quis se recipiat, nec portum ædificare, nisi publica utilitas, quæ necessitati proxima, hoc postulet, ubi tamen privatis ex publico satis faciendum est. *vid. b. 17.*

## Th. XXX.

Piscatio, cum absque ripis exerceri vix possit, usum quendam in his sibi vindicat. Hinc, qui jure piscandi gaudet, jus habet ripis utendi pro necessitate & ratione pescationis, & poterit ex ripis fundam, hamum retiaque in flumen injicere & ex eo deducere, nassam demergeare & cymbam arboribus ibi natis alligare *arg. §. 5. I. de R. D.* Hoc jure pescatoribus etiam permisum est, septa aquatica (*Schülzlaichen / Jäger Zaune*) ad detinendos capiendosque pisces struere, imo ex quadam consuetudine, quæ, an fundata sit, alii judicent, jus prætendent, ligna aliaque ad hæc septa facienda necessaria ex prædiis vicinis desumendi, hæc tamen septa tempore autumnali appropinquante hyeme erui debent. Sed, quid si pescatores hoc facere neglexerint & per hæc septa relicta incrementum aliquod fundo vicino citra factum possessoris accesserit, an accolentibus, in quorum præjudicium hoc quodammodo cedit, actio exinde competat? In pescatores actionem dari, nullum est dubium. Hi enim ad destruenda septa obligati sunt, & hoc omittendo culpam incurunt, ex qua ad restituendum factum & insuper accolentibus actione in factum ad interesse tenentur. *arg. l.2. §. 34 ff. ne quid in loc. publ.* Adversus vero possessores ejusmodi incrementi nulla datur actio. Non personalis, quia hi nec ex contractu aut quasi contractu nec ex maleficio aut quasi maleficio obligati sunt, ex quibus fontibus alias obligatio & exinde actio personalis fluit. *§. 2. I. de obligat.* Nam presupponimus possessores in facto pescatorum neque physice neque moraliter concurrere, sed factum illud ipsis

insciis vel invitis processisse. Sola autem scientia superveniens & patientia eam obligationem non inducit, ut quis opus alterius in suo factum teneatur destruere, sed saltem patientiam destruendi operis adversatio præstat. arg. l. 22. ff. de nov. op. nunc. l. 4. §. 2. ff. de aqu. & aqu. pluv. l. 16. §. 2. ff. quod vi aut cl. junct. l. 14. ff. d. t. Non realis, quia, quod fundo ita accrescit, est congeries particularum, quas flumen secum vehit & quarum dominium ob incertitudinem autorum non extat. Justissima ergo ratione non tantum addicitur iis, quorum prædiis fortuna mediante flumine aliquid adjecit, ut supra tb. 7. ostensum est, sed etiam possessoribus relinquitur, quod ex particulis, quarum nullus invenitur dominus, fundo, licet facto alterius concurrente, accedit. Nam si rerum nullius occupatio etiam in alieno cum injuria alterius licita & justa habetur. §. 12. & seqq. I. de R. D. multo magis acquisitione justa habenda est, quæ sit per modum accessionis citra injuriam alterius, non in alieno, natura simul operante. Quod ergo accolentium non est, neque unquam eorum fuit, ab iis nec directa nec utili substdaria reivindicatione, (que alias ex æquitate comparata, ubi scilicet unum vel alterum directæ actionis requisitum deficit, Baro de Lyncker in Comm. ad t. de rei vind. tb. 4.) vindicari potest. Præjudicium autem, quod accolentibus forte exinde instat, vel in lucro intercepto conslit vel legitimis remediis & justa riparum defensione averti potest, quod si facere neglexerint, damnum ex inde ortum suæ incuria imputare debent. Piscari in flumine publico olim cuivis ex populo licuit, etiam ecclesiasticis personis, quibus tamen venatio interdicta c. 1. & 2. dist.

(37) 

z. diff. 34. hodie jus piscandi regalibus accensetur z. f. 56.  
& certis personis per modum feudi concedi solet. Alicubi  
tamen tempore inundationis, wenn der Fluss aus den  
Gestaden oder Hammen ist / cuivis adhuc piscari licet,  
uti de flumine Rheni testatur Noe-Meuer d. tr. tit. von  
Anhencken s. es ist auch &c.

Th. XXXL

Usus fluminis , qui in ratiū & lignorum trans-  
vectione consistit, trahit etiam ad se usum riparum, ut  
ratem ad ripas appellere, eamque arboribus ibi natis al-  
ligare, item ligna ad ripas expulsa flumen injicere lice-  
at. In ratibus vero extrahendis & lignis exponendis  
commercii causa eadem observanda sunt, quæ de navi-  
gatione supra th. 29. monita, scilicet, quod loca publica  
ad hoc destinata adiri debeant. Si vis fluminis ligna vel  
rates vel alias res ad ripas alicujus expulerit, dominus ea  
capere nequit, nisi furti vitium incurrere velit. Quod si  
vero agro noceat , judex adeundus est de proclamatione  
in locis vicinis facienda, ut dominus res illas tollat intra  
certum terminum, alias illæ res pro derelictis habentur &  
occupanti cedunt, maxime si res sunt viles Cœpoll. de  
S. R. P. c. 27. n. 4. & 5. De Jure Grutiae vid. Fritsch in  
spec. tr. von Floßrecht.

Th. XXXII.

Ad usum riparum publicum spectat etiam jus per-  
cipendi vestigal , quod pro transitu fluminis & riparum  
solvitur. Navigari in flumine publico omnibus permisum  
est, etiam exteris, sicut in via publica ultro citroque com-  
meare , sub lege tamen solvendi vestigal, à quo se non libe-  
rant, qui navigio per medium aquam aut subter pontem ve-

Iuntur, & ad ripam non appropinquant, sed nave in ad ripam appellere & vestigal solvere coguntur. Ziegel. *de jure Maj. L. II. c. 7. §. 16.* aliud in pontenagio, quod eundo per vadum evitari potest, quia iniquum judicatur. *Fähr-Geld* exigere ab eo, qui non navis, sed vadi beneficio utitur, quamvis hic ad mores & consuetudines respiciendum esse, putet Fritsch. *sp. tr. de jure pontium c. 4. b. 6.* Ab omnibus & pro omniibus mercibus solvi debet vestigal, nisi vel personæ vel merces vel utræque simul immunitate, gaudiente, de quibus vid. Sixtin. *de regal. c. 8.* Rosenthal. *de fendl. c. V. concl. 47.* ubi, quod navis vi tempelatis in portum rejecta vel metu hostium eo delata ad vestigal non teneatur. arg. *I. 15. & 16. §. 8. ff. de publican.* quia nullum jus in aliena calamitate querendum, neque de causa tam luctuosa compendium sectandum est, *I. 1.* C. *de naufr.* De poena fraudantium vestigal notandum est, quod miles quidem teneatur ad solutionem vestigalis, sed non poena commissi. Ex quo DD. colligunt, aliud esse obligari lege, aliud poena legis. Brun. *ad L. 3.* C. *de vestigal. & commiss.*

## Th. XXXIII.

Non tantum autem pro transitu fluminis & riparum vestigal solvit, sed etiam pro trajectu, ubi ab una ripa per flumen trajicitur ad alteram. Vocari solet hoc jus die *Fähr-Gerechtigkeit* / & soli principi vel ei, qui cum hoc jure investitus est, competit. Peregrin. *de juris. fisc. L. 1. t. 1. n. 23.* Nemo ergo nobilium vel alterius privati poterit exercere jus trajectus, eriamsi in utraque ripa fluminis publici domus habeat arg. *I. f. ff. de flumin. j. I. 2. §. 33. ff. ne quid in loc. publ.* vel etiam flumen privatum

tum sit, quia concessio flumine non statim omnia flumi-  
nis jura concessa intelliguntur, maxime, quæ alias spe-  
ciali concessione conferri solent. Videtur tamen aliqua-  
lis usus non denegandus neque prohibitum esse, ut ra-  
tem quis habeat ad commoditatem & usum proprium,  
si utramque ripam in dominio habeat & flumen insuper  
privatum sit, modo per id ordinaria stationi, ubi vecti-  
gal solvitur, præjudicium non inferatur, quia sic magis  
flumine & ripis utitur, quam jure trajectus, quod in-  
perceptione vectigalis consistit. Et tantum de jure  
riparum publico, restat, dispiciamus de jure, quod ri-  
parum domini sibi vindicant. Agendum vero prius es-  
set sec. disposit. §. 20. de usu riparum, qui dominorum  
proprius est, quam ad tractationem juris, quod ex pro-  
prietate fluit, accederemus. Verum, cum jura circa ri-  
parum usum cum juribus proprietatis quam maxime  
conveniant, de utroque jure conjunctim acturi sumus.

## Th. XXXIV.

Dominis riparum præter usum, qui cum aliis ipsis  
communis est, alium eumque multo ampliorem & pla-  
ne singularem competere, facile quis concedet, qui na-  
turam dominii perspectam habet, quo unicuique libera-  
de re disponendi facultas tribuitur & quisque suæ rei mo-  
derator & arbiter dicitur l. 21. C. mand. item quilibet ita  
suo solo pro lubitio ædificare potest l. 24. ff. de servit.  
pred. ruf. l. 8. 9. C. de servit & aqua. etiam si alteri ædi-  
ficando nocet, quæ libertas in suo ædificandi adeo fun-  
data est, ut nec longissimo quidem tempore, imo nec  
immemoriali præscriptione tolli queat, quia libero arbi-  
trio nunquam præscribitur & res meræ facultatis nullo  
tem-

tempore excluduntur, nisi ad prohibitionem ab alio interpositam quis acquieverit. Ripæ vero sua natura non sunt publicæ, nisi quoad usum, quem publico ratione fluminis & navigationis præstant, quod etiam leges innunt, quæ flumina & ripas conjungunt *vid. l. 3. pr. ff. de flumin.* & de utrisque dicunt, quod publici juris sint *l. 65.* §. 1. ff. de A. R. D. sed quoad proprietatem & usum, quem vocant causalem, spectant ad eos, qui prædia prope ripam possident §. 4. I. de Rer. div. quia ripæ prædiorum adjacentium partes habentur, cum flumina sæpe mutando alios alveos & ripas facere, eaque ex prædiis privatorum mutuari soleant. Naturali etiam æquitati conveniens videtur, ut riparum proprietas sublevet dama & incommoda, quæ possessores in iis custodiendis ferre debent. Myns. ad §. 4. I. de R. D. Ita omne riparum commodum & incrementum ad prædiorum adjacentium possessores pertinet, iis fruuntur ad necessitatem & voluptatem, de illis disponunt eas mutando, colendo, alienando, & quæ sunt alia dominii jura.

## Th. XXXV.

Ad riparum commoda spectant (1) arbores & fructus ibi nati §. 4. I. de R. D. Hinc si navigantes quicquam de fructibus ibi natis acceperint, tenentur, & poterit dominus arbores in ripa positas præcidere, si non serviant usui publico, veluti navium funibus religandis. Myns. c. l. (2) Incrementa fluvialica & accessiones, quo referimus alluvionem, insulam, alveum derelictum, thesaurum &c. de quibus sugra *tb. 10. & seqq.* dictum est, quod acquirantur iis, qui prædia prope ripam possident. (3) Ædificata, sata, implantata, neque ædificium in ripa exstru-

( 41 )

exstructum sit ædificantis, l. 15. ff. de A. R. D. sed propria autoritate à riparum dominis destrui potest, arg. l. 29. §. 1. in f. ad L. Aqu. vel interdicto prohiberi, si quis velit mittius agere, l. 5. §. 10. ff. de nov. op. nunc. Diversa ratio est in littore, ubi, quod quis ædificaverit, ejus erit in tantum, ut & soli dominus constituatur l. 6. ff. de Rer. div. Nam litora publica non ita sunt, ut ea, quæ in patrimonio sunt populi, sed ut ea, quæ primum à natura prodita sunt & in nullius adhuc dominium pervenerunt. l. 14. pr. ff. de A. R. D.

### Th. XXXVI.

Usus sane riparum, qui ex dominio fluit, maximus est. Non enim ad necessitatem restrictus est, quæ cunctis alias hominibus jus quoddam in ripis tribuit, uti tb. 24. demonstratum est, neque sola utilitate circumscriptus, ut cum usufructu conveniat, ubi quis utitur re tantum, sicuti est, non sicuti potest, sed eo extenditur, ut dominus ripis plenissime uti possit, eas immutando, aptando ad usum destinatum & tractando, pro ut ipfi placuerit, atq; sic ea omnia proprietarii in ripis concessa sunt, quæ dominis alias in rebus suis competunt. Unica saltē restrictio notari meretur, quod dominus ripis ita uti debeat, ne usus publicus, quem ripæ fluminibus præstant, impediatur, ex quo variae oriuntur quæstiones, quarum Prima est, an liceat dominis ad ripas molendina extruere? pro natura & conditione quæstio hæc & affirmari & negari potest. Eo tempore, quo flumina usui eorum, qui de re publica erant, adhuc serviebant, quin in ripa fluminis publici etiam sine consensu superioris molendinum constitui potuerit, dubitandum non est. In fluminibus enim & viis publicis tum temporis

F

qui-

quilibet poterat ædificare & struere, modo hoc sine injuria & incommodo cuiusquam fieret per l. 24. pr. ff. de dann. infect. &, dum prætor in l. 1. ff. de flumin. & l. 2. §. 2. ne quid in loc. publ. vetuit, ne in fluminibus aliquid fiat, quo usus dererior reddatur, simul eo ipso permisum videtur, ut quis iis libere utatur, si usum publicum deteriorem non faciat. Confirmat hoc lex Alemannorum quæ habetur sub tit. 38. n. 1. Si quis mulnum (molendinum) aut qualemque clausuram in aqua facere voluerit, sic faciat, ut nemini noceat. Si autem nocuerit, rumpatur usq; dum non noccat, vid. Zieg. de jur. Maj. L. 2. c. 15. §. 38. Et DD. ibi allegati: item Herring. de molendinis qv. 17. Oettin. de jur. lim. l. 1. c. 12. lit. M. Diff. Styp. de jur marit. P. 2. c. 5. n. 126. Verum hodie ab eo jure recessum est, neque privatis amplius in fluminibus publicis molendinum ædificare licet, non quidem, quod hodie molendina inter regalia referuntur, namvis hoc a Principe ex ratione politica, de qua Struv. in S. I. F. c. VI. apb. 7. n. 5. fieri posse dubio non careat, sed, quia flumina ad Principem spectant & inter regalia referuntur, adeoque ædificatio in his tanquam in alieno sine licentia principis fieri non potest l. 29. §. 1. ff. ad L. Aqu. Rosenthal de feudis c. 5. concl. 28. Ex quo sequitur, quod molas seu molendina in suo, puta flumine privato, extruere prohibitum non sit, quod præjudicio confirmat Baro de Lyncker dec. 367. neque de contraria consuetudine in Saxonia satis constat, & sententiam Carpz. & Richt. qui de hac consuetudine testantur, examinat Zieg. d.l. §. 44.

Th. XXXVII.

Secundo queritur, an liceat in flumine publico partem pontis (einen Ausstritt) facere, per quem possit iri ad

ad accipendum de aqua vel stare ibi ad lavandum pannos.  
 Negat Cœpoll. ob rationem, quod in flumine publico nihil immittendum sit arg. l. ult. ff. ne quid. in flum. publ. idem tamen monet, de consuetudine servari contrarium, cui consentit Ahaver. Fritschius in tr. de jur. pont. c. 3. tb. 4. quod multo magis concedendum est, si illa pars pontis maximam partem ripæ occupat & non longe in flumen protenditur, quia, quod ita in ripa sit, non videtur in flumine factum neque eo interdictum prætoris pertinet, vid. l. 1. §. 11. ff. de flumin. Ulterius queritur, an non detur possessoribus prædiorū flumen adjacentiū jus aquam ad irrigandos agros absq; consensu Principi haurirendi? aff. quia aquarum usus est adhuc hodie communis & qui aqua profluente utitur, non statim utitur flumine, quod ab illa distin-  
*de flumine publico. Regula. Vid. L. 4. 3. C. de aletat. Nihil autem flumini ex haustu aquarum decadere, ex eo manifestum est, quod aqua fluminis in perpetuo motu sit & quod haustus aufert, continuus affluxus suppleat, neq; illa quantitas aquæ haustæ censemtur fuisse in dominio alterius, cum hauriretur, quia ex natura rei nullius constat, harum rerum dominium ante occupationem, licet in alterius prædio inveniatur, neminem sibi asserere posse, maxime si res facile de loco in locum moveri & alterius potestatem subire possit. Contra usus hujus rei maximus est, & ad augendos fructus admodum conducibilis, licet a plerisque negligatur vel plane ignore-*

tur. Majoris momentires est aquæ ductus, qui propter ea, ne flumina publica derivationibus facile exarescant, privatis interdictus est, & hinc nemo sine expressa permissione principis vel Magistratus aquam ex flumine publico ad irrigandos agros ducere & derivare potest, vid. l. 3. 5. & fin. C. de aquæ. ibique Br. in Com. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile colligere est, quid respondendum sit ad quæstionem, utrum ripas claudere ibique hortulos facere liceat? scilicet dominus riparum ejusmodi quid facere non potest, si incommodatur usus publicus vel impeditur iter pedestre navigationis, quod est juxta aquam, quo itur cum funibus trahendo navem. Cœpoll. d. tr. c. 36. n. 11. Et sic examinatis etiam riparum juribus, reliquum erit, ut paucis modos conservandi & tuendi ripas attingamus.

## Th. XXXVIII.

Modi conservandi & tuendi ripas duplicitis generis sunt: Vel enim ripæ opera & manu hominum custodiuntur vel civiliter & legitimis remediis, prout periculum & damnum ripis infertur vel a flumine & natura, vel ab homine, cui non nisi legitimis remediis occurendum est. Si flu men & natura ripis damnum infert vel minatur, dominus riparum eas munire & ædificando custodire potest, imo ad hoc tenetur, cum non tantum possessorum, sed etiam rei publicæ interfit, ut ripæ reficiantur & propterea opus hoc utilissimum dicitur in l. unic. ff. de ripam un. Si possessores ripas reparare non valeant, eas reparanti cedere coguntur, quod speciali lege in Frisia cautum est & ex hac ratione monasteria ibi magnum numerum agrorum acquisivisse, testatur Emm. l. 9. rer. Fris. Onus reparandi ripas reale est & impensæ in munitiones riparum & aggeres factæ in-

ter

( 45 )

ter necessarias referuntur quia spectant ad rei conservatio-  
nem ejusque perpetuam utilitatem l. 3. 14. ff. de impes. dot.  
quas si conductor præstat, in mercedem computat l. 1. §. 3.  
ff. de via publ.

Th. XXXIX.

Quousque autem possessoribus ripas munire per-  
missum sit, in LL. definitum non est, nisi, quod naviga-  
tionis & accolentium ratio habenda & in eorum incom-  
modum munitio facienda non sit l. unic. §. 6. ff. ne quid  
in flum. l. unic. ff. de ripa mun. Quotiescumque autem in  
legibus nihil definitum est, succedit arbitrium judicis,  
qui adhibitis peritis artis hic considerare debet fluminis  
latitudinem ejusque profunditatem, aquarum vim & ap-  
pulsus vehementiam, item riparum conditionem & ma-  
teriam. Pro diverso enim statu rei diversa adhibenda  
structura, quandoque major, quandoque minor, prout  
necessitas exigit. Interdum levia septa & pali sufficiunt,  
interdum gerra (Schanz Körbe) lapidibus onusta vel  
etiam pilæ (Bollwerke) necessaria sunt, quæ sane cogni-  
tio majorem sèpius operam requirit, quam simplicem  
& fugitivam rei inspectionem. Interim in munitione  
riparum non eo tantum respiciendum est, ut damnum  
præsens saltem reparetur, sed etiam, ut futuro simus oc-  
curratur, idcirco, si tota aquarum moles humeris quasi  
riparum ex uno fluminis latere incumbat, possessoribus  
permisum videtur, onus hoc dejicere & eousque vim  
& impetum aquarum ædificando propellere, donec flumi-  
nis medietatem occupaverit & ad regularitatem redierit,  
ita, ut, si lignum vel ratis flumen transeat, non amplius  
ad latera feratur, sed in medio fluminis cursum teneat.

F ,

Nemo

Nemo enim in communi periculo & necessitate solus onerari cebet, neque onus hac ratione inæqualiter impositum quis refinere, aut ad id sustinendum media requirere tenetur, sed sufficit, si pro parte communi necessitati succurrat. Quod autem cursum fluminis ad aliquid utilitate id exigente immutare licet, patet ex l. unic. §. 7. ff. ne quid in flum. publ. ubi Ulpianus: Sed et si, inquit, alia utilitas vertatur ejus, qui quid in flumine publico fecit: Pone enim grande damnum flumen ei dare solitum prædia ejus depopulari, si forte aggeres vel quam aliam munitionem adhibuit, ut agrum suum tuercitur, eaque res cursus fluminis ad aliquid immutavit, cur ei non consulatur? Plerisque scio prorsus flumina avertisse, alveosq; mutasse, dum prædis suis consulunt. Oportet enim in bujusmodi rebus utilitatē & tutelam facientis spectari sine injurya utique accolarum, quod & Imperat. Gordian, in l. i. C. de alluv. confirmat.

Th. XL.

Cæterum quandoque accedit ut opus faciendum sit, quod ob grande damnum, quod flumen ripis dedit, magnos sumtus requirit, & æquitas exigat, ut quædam collatio à vicinis fiat, ubi duæ quæstiones oriuntur, quarum prior est, utrum à vicinis, quorum prædia flumen non attingunt, aliquid exigi possit? Posterior, si solum prædia prope ripam in constituendo concurrant, quomodo prædia hæc taxanda, an pro quantitate agrorum? an pro latitudine riparum? Quantum ad priorem quæstionem attinet, non dubitamus, negativam sententiam apprehendere, sequentibus inducti rationibus, quod (i) regulariter onus reficiendi ripas earum possessoribus incumbat, & si hi ob indigen-

gentiam' eas munire non valeant, eas reparanti cedere co-  
gantur sec. supra dicta (2) æquitati conveniens sit, eum  
sequi incommoda, quem sequuntur commoda. l. 1. §. 4.  
*C. de caduc. toll. l. 10. ff. de R. J.* Multa autem commoda-  
ratione riparum ad possessores pervenire, ex accessioni-  
bus & incrementis fluviaticis satis constat, adeoque æquum  
est, ut possessores etiam incommoda munitionum ferant.  
(3) opus hoc directò tendat ad utilitatem & conservatio-  
nem prædii flumen adjacentis, cum contra interesse in vi-  
cinos ex hoc opere redundans saltem remotum sit, non  
comparandum cum illo, qd. ex destructione ædium incen-  
dio orto vicinis prædiis accedit, quia hic periculum proxi-  
mum est brevi temporis spatio ad vicinos perventurum, si  
non præsentissimo remedio periculo occurratur, quod  
secus in ripis ruinosis Accedit (4) quod damnum plerum-  
que ex negligientia possessorum contingat, quod regulari-  
ter suos autores tenet l. 203. ff. de R. J. l. 26. ff. de pœnis.

## Th. XLI.

Posterior quæstio ex proxime adductis rationibus fe-  
re decidi potest. Cum in acquisitionibus & commodis  
fluviaticis, quæ prædiis propter ripam accedunt, prædium  
non ratione quantitatis, sed quoad anteriorem partem,  
quæ ripam constituit, æstimetur, æstimandum etiam eo-  
dem modo est ratione incommodi, quod munitio infert,  
quia commodi & incommodi semper idem est respectus,  
&c, qui plus impendendum haberet, si propriis suratibus  
ripas munire deberet, plus etiam ad opus contribuere ne-  
cessum habet, quod communibus sumtibus in utilitatem  
& tutamen riparum omnium extruendum. Neque obstat  
l. 2. *C. de immun. nem. conced.*, ubi, quod possessores in-  
repa-

reparatione publici aggeris pro jugerum numero & quantitate dare cogantur, quia diversum obtinet in aggeribus, qui non tam pro conservatione riparum, quam prædiorum vicinorum ad cohimbendas & impediendas exundationes conficiuntur, ne aquis prædia devastentur quod cum in prædiorum maxime commodum cedat, quantitas eorum in taxatione spectanda est non latitudo partis ad flumen vergentis.

## Th. XLII.

Omnis autem generis ripæ munientæ sunt, sive sint publicæ sive privatæ, & publicæ quidem, quarum scilicet proprietas pertinet ad rem publicam, ex æario publico reparantur, quia commodum ex flumine solum ad rem publicam spectat & nihil inde ad privatos pervenit, ut, si flumen molendini publici civitatis causa per locum publicum fluat. Äquum enim est, ut civitas, ad quem lucrum spectat, damnum quoque sentiat & suis impensis flumen in terminis retineat, ex quo commodum percipit. Quoad privatas nihil interest, utrum illæ antique sint, an per alluvionem acquisita; modo in eo statu sint, ut ob damnum à flumine datum reparatione indigeant. Nulla enim ratio adest, cur diversum in posterioris generis ripis statuendum sit. Si enim per alluvionem ripæ constituuntur, necessario sequitur, quod etiam conservari possint & debeant, si flumen eis damnum dare incipit. Quod autem in l. i. Cod. Theodos. Novell. tit. 9. unde l. f. C. Inst. de alluv. desumpta est, dicitur: quod alluvionum ea natura sit, ut semper incerta possessio, incertum sit eius dominium, & quod hodie possemus nonnunquam altero die vicini fundi domino in alteram fluminis partem translatum acquiratur, nec tamen apud eum,

¶ (49) ¶

cui accrescit semper remaneat, sed plerumque redeat ad priorem dominum cum augmento, saepe nec ad posteriorem maneat nec redeat ad priorem, sed in arenam fluminis inundatione solvatur. intelligendum est de alluvione nondum perfecta & in arena adhuc consistente, vel respicit naturam & conditionem, quam alluvio cum reliquis terris ad flumen adjacentibus communem habet, aut reparationem non excludit, quin potius ex eo, quod res facile per flumen auferri & corrumpi possit, concludendum est, quod eo majori cura & custodia conservari debeat. Hæc adeo certa & fundata sunt, ut mirum sit, quod nihilominus à quibusdam in dubium vocentur, nulla nec ratione nec autoritate cujusdam Jcti pro ipsis militante.

### Th. XLIII.

Hæc de modis muniendi ripas ordinariis, ad extraordinarios & plane insolitos referimus, quo flumen ab alterius ripis ruinosis plane avertitur & ducitur per alterius ex opposito situm prædium. Nullo nec naturali nec divino nec civili jure à possessoribus hoc prætendi posse, manifestum est. Nam in alterius prædium involare velle, de eo invito domino disponere, damnum alterius rei inferre, tantum abest, ut juri conveniens sit, ut potius ei quam maxime adversetur. Facit huc text. & gl. art. 57. th. 2. n. 2. Land R. Wissel / das niemandt einerlen Weise ichtes thun mag / da durch das Wasser einen neuen Weg erfülle / iemand zu Schaden. Quod etiam verum est, etiamsi quis prædium per alluvionem & accessionem naturalem consecutus fuerit. Nam, quod ita acquiritur, non minus illibatum servari debet, quam emtione venditione acquisitum. Est enim modus acquirendi per alluvionem, uti antiquissimus, & Jur. Gent. ita æquissimus in compensationem onerum, quod possessores ratione fluminis sustinent, inventus. Sed illud queritur, an non Princeps ex potestate territoriali in levamen possessorum, quorum prædiis flumen damnum dedit, & in præjudicium tertii, per cuius prædium flumen ducentum est, mutationem fluminis decernere possit? Negatur. Si enim princeps ne quidem in casu necessitatis & utilitatis

publicæ privatos eō adigere potest, ut res suas absque justo pretio in commune conferant, per ea, quæ supra *tb. 17.* dicta sunt, multo minus id poterit, necessitate & utilitate publica cessante, concurrente possessorum negligentia. Certe princeps nunquam præsumitur juri alterius quæsito derogare velle, quia repugnat officio boni principis, quod est tueri subditos eorumque jura, & alterius jus auferre absoluta potestatis est, quæ exerceri non potest justæ, nisi inexorabili necessitate aut magna utilitate, & tamen sine dispendio, quantum fieri potest, privati, ideo quicquid princeps prescribit, mandat, aliterve fieri vult, ita intelligendum est, ut nemini fiat injuria, jus terii illæsum relinquatur, ita *Mev. I. dec. 141.* Magna ergo circumspectione judici inferiori in exequendis principum rescriptis utendum est, ubi quis re sua privandus est & causa non ordinario modo & plene, sed tumultuarie & minus plene perractata, ne facile pietati & justiciæ boni principis injuriam faciat infligatque propriæ conscientiæ vulnus maxime periculosum.

## Th. XLIV.

Legitimis remediis & actionibus opus est, ubi quis in ripa munienda impeditur vel ripis opere facto aliave ratione damnum infertur, & hanc in rem regulariter interdicta competunt, quibus prætor lœsis succurrit. Hac interdicta adhuc hodie obtinere, &, quod olim prætori licuit, in Magistratum translatum esse, assent Zieg. de jur. Maj. L. II. c. 15. §. 29. Actiones vero, quibus ripæ ipsæ & jura circa eas vindicantur vel alias petuntur, ex illis juribus accersendas sunt, quæ pro re nata competit. Hoc loco de prætoriis actionibus, utpote frequentioribus remediis, acturi sumus & ratione ripæ munienda datur interdictum de ripa munienda, quod est prohibitorum competens ei, qui in flumine publico ripave ejus opus facit ripæ agrive, qui circa ripam est, tuendi causa, modo inde non fiat deterior navigatio & caveat muniens de damno futuro in annos decem, contra prohibentem, ut prohibere desinat *I. unic. pr. §. 23. ff. de ripa mun.* Cavetur hic de damno futuro vicinis & his, qui trans flumen possident d. h. §. 4. non ergo remotis, multo minus reme-

remotissimis, qui per centum jugera absunt, ibique v. g. non  
lam aliudve prædium possident. Curandum tamen est, ut eis ante  
opus factum caveatur. Nam post opus factum persequendi hoc in-  
terdicto nulla facultas superest, etiam si quid damni postea datum  
fuerit, sed *L. Aqu.* experiendum est, d. l. §. 5. vel ejus loco act. in  
factum arg. l. 17. ff. de serv. præd. urb. C. A. tit. de rip. mun. Utile inter-  
dictum ratione ripæ lacus, fossæ, stagni muniendi datur d. l. §. f.

## Th. XLV.

Si quis vero alterum in munienda ripa quidem non impedit,  
sed opere in flumen immisso ripis ex altero latere sitis damnum &  
injuriam infert, locus est interdicto prohibitorio, si opus non dum  
perfectum, vel restitutorio, ne quid in flum. publ. fiat, si opus jam  
factum, & locum habet hoc interdictum, si quid fiat aut immit-  
atur, quo mutetur aquæ cursus, eaque mutatio aliquod incommodo  
circacoletibus adserat, forte, quod vel depresso vel arctior  
fiat aqua, ac per hoc rapidior reddatur cum incommodo accolen-  
tium. Non ergo ad quantitatatem aquæ fluentis respicitur, sed ad mo-  
dum & rigorem cursus aquæ *L. unic.* §. 3. ff. ne quid in flum. Datur  
hoc interdictum cuivis ex populo d. l. §. 9. praefertur tamen is, cu-  
jus maxime interest, uti ex natura actionum popularium patet, *l. 3.*  
*§. 1. ff. de pop. act. l. 5. §. 5. ff. de his, qui effud.* Non inutiliter etiam  
ratione operis, quod in alterius præjudicium in ripa fit, adhibetur  
novi operis nuntiatio & ratione operis jam facti actio *de aqua.* & *A-*  
*qu. pluv. utilis.* De Nili aggeribus non rumpendis est specialis tit.  
*in C. de Nili agger. non rump. & statutum,* quod si quis chomata i.e.  
aggeres, qui aquam niloticam continent, rumpat vel dissolvat ex-  
tra ordinem pro conditione & admissi mensura opere publico vel  
metallo coercendus sit. *I. pen. ff. de extr. crim.*

## Th. XLVI.

Proceditur in causis riparum & aggerum regulariter sum-  
marie, quia hæ causa ita comparata sunt, ut sèpius ob pericu-  
lum in mora, ob quod regulariter receditur à juris communis re-  
gulis, celerem expeditionem requirant, Mev. *IX. dec. 119.* Non au-  
tem credendum est, has causas præpostere & absque ullo ordine  
tra-

tractari, sed uti in aliis summarisi, ita procedendum est, ut ea, quæ sunt Juris Gent. & ad substantiam processus requiruntur, non omittantur, Carpz. in Pr. tit. I. art. 1. n. 22. alias processus nullitate laborat & causam appellandi etiam in causa, in qua alias appellatio prohibita est, præbet, vid. Mev. III. dec. 164. ubi in specie de processu in causis aggerum agit, an ibi omitti possint, quæ sunt jur. nat. & Gent. Quænam substantialia processus sint, vid. ap. Carpz. c. 1. n. 30. quo refert narrationem facti, qualemqualem petitionem actoris, citationem, rei responsionem, probationem, defensionem rei & sententiam. Ut plurimum hæ causæ certis a Principe delegatis committi solent, de quibus notandum, quod nemo invitus teneatur causam commissariorum arbitrio committere, sed audiri debeat mox ante terminum commissioni renuncians & ad forum ordinarium provocans, quia commissiones respectu partis non extrahentis non sunt necessitatis, sed voluntatis, & nemo a judice suo competente ad aliquod judicium extraordinarium trahi potest. Stryck. in Introd. ad Pr. C. II. §. 21. Ubi vero causa coram commissariis agitatur & pars per sententiam eorum se gravatum sentit, poterit a commissariis appellare ad committentem, sive hic sit princeps sive alius ordinarius judex, Mev. II. dec. 11. Sæpius etiam in hac causa ocularis inspectio suscipienda venit, quæ omnium probationum prima & optima dicitur. Si illa facta, non statim ferenda sententia est, sed rotulus partibus prius communicandus & causa plene cognoscenda, ne sententia nullitate loboret. Est enim inspectio ocularis loco attestatorum, quæ necessario deductio causæ subsequitur, Rutg. Ruland. de Comiss. L. 3. c. 2. 15. n. 1. & seqq. Mev. III. dec. 21. Sententia ex hac causa lata, cum facile per evidentiā facti elidi possit, non semper in rem judicatam transit, cap. Fraternitatis X. de frigid. & malef. Ruland. d. tr. Lib. 3. c. 3. n. 10. Atque hæc de riparum jure & usu pro instituti ratione dixisse, sufficiant. Deo T. O. M. pro divino suo auxilio sit laus, honor & gloria in sempiterna secula.

F I N I S.

**ULB Halle**  
005 312 361

3





B.I.G.

Black	
3/Color	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

Farbkarte #13



DISSERTATIO JVRIDICA IN AVGVRALIS

# DE JVRE RIPARVM

Von Recht der Wasser / 1715, 32 v. 20.

QVAM  
AVXILIANTE DEO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

## GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

DITIONVM ISENACENSIVM HEREDE  
EX DECRETO INCLYTÆ FACVLTATIS JVRIDICÆ  
IN ALMA SALANA

P R A E S I D E

## IO. BERNHARD. *Sriesen/* I C T O

HEREDITARIO in Posen

SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO AVLICO AC  
CONSISTORIALI, PROFESSORE PANDECTARVM NEC NON CV-  
RIÆ PROVINCIALIS SCABINATVS ET COLLEGII JVRIDICI  
ADSESSORE

PATRONO AC PROMOTORE SVO SVMME COLENDO

## PRO GRADV DOCTORALI

ET PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS  
PVBLCÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
ad diem 21 Decemb. MDCCXV, hor. ante 5 pomerid.

IN AVDITORIO JCTORVM

submitted

## JO. CHRISTIANVS KREVSLERVS

Jen. Thur.

JENÆ, LITTERIS MULLERIANIS.

LIX.  
4

1715, 3  
b